

liceri, fortasse nec umbellam & imaginem aliquam imaginis. Si quis pensiculatim pensiculat, divinâ operâ magnum illud imperium stabilitum dicet. Ibi firmamenta Reipubl. omnis, ibi ornamenta, ibi virtutum omnium lumina; quibus omnibus, nihil præclariùs, nihil pulchriùs, nihil denique diviniùs, ne votis quidem conceptis, optari potest. Omnes uno consensu gentes confitebantur; domicilium bonarum artium, seminarium quoddam præstantium virorum. E cinere istorum suscitati rerum domini; meritò etiam imaginem quandam providentiæ & potentiæ dicit. Multa fuerunt Romanæ magnificentiæ: nec in urbe solùm aut ipsa Italia, sed per totum terrarum orbem sparsa. Omitto justitiam in litium cognitionibus; constantiam in dubiis, prudentiam in consiliis tantam & tam admirabilem fuisse, quantam vix legerit, aut percepit hominum quisquam. Ad decorem si transeo, qui varius in mole, in artificio, in materia, in symmetria; & si quid aliud elegantia amat. Hæc enim omnia sine mente, sine sensu, tam pulchra, tam distincta, facta atq; ordinata, atque etiam ipsa, quæ animam ac animum habent. Nullum publicum opus, quodcunq; nomines, nullus locus publicus adeò vacuus, ubi non monumenta. Nimia omnia nimium tamen exhibuerunt negotium, nequè eis ulla ordinandi satis facietas fuit. omnia quæ suprâ, media, & infra; facta ad hominis genium. Omnia inibi splendida ac decora, & ab ingenio civiũ, & à genio ipso orbis: quibus unâ potuerunt gloriari. Viri fuerunt decori, & honesti amantes suavitate, simul & gravitate conditi; flos terrarum omnium, sol & sal mentium & gentium. certè natura concluderat in illâ urbe, quicquid erat in toto terrarum orbe. Ponite vobis ante oculos omnes orbis partes,